



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Cum Chrysostomo, & prædictis alij etiam Latini, & Græci sensisse
videntur. cap. 4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

audientes quotidie, vident faciem vultus vestri, non enim vident substantiam diuinam, quæ nec circumscribi, nec comprehendi, nec mente percipi potest, & quæ vniuersa comprehendit, sed quandam gloriam, quæ eorum viribus correspondeat, siquæ eis commoderata. Hæc Theodoret. Qui si veller, solum negare comprehensionem in sensum, in quo Scholastici loquuntur, non autem claram visionem; non diceret, essentiam Dei nec circumscribi, nec comprehendi, nec percipi posse, nec videri, nisi gloriam solum, quæ viribus creatis correspondeat.

CAPVT IV.

Cum Chrysostomo, & predictis alijs etiam Latini, & Græci sensisse videntur.

Cum his Patribus facere videntur Hieron. in t. c. 1. 1. in illa verba, Audite verbum Domini principes Sodomorum, Primasius in illud 1. ad Cor. 13. Cognoscite, sicut & cognitus sum; & Isidorus in c. 4. 1. Exodi, ubi de Moyse ita ait: Quid est faciem meam videre non potest: nisi quia quamuis vsque ad paritatem angelicam humanam etiam post resurrectionem natura perseverat, & ad contemplandum Deum indefessa consurgat, videre tamen eius essentiam plene non praeualet, quam nec ipsa perfectio angelica in toto, vel integre attingit scire; Respondere posset aliquis Theologus, quæ verba Patrum in sensum Scholasticorum veller pertrahere, Isidorum intelligendum esse de comprehensione, vt illo loquuntur; non de clara visione, quam omnes concedunt. Sed præterquam quod verba citata id minime indicant, solum enim dicit, Deum ab Angelis non videri in toto, vel integre, vel plene, quæ sane significant, Deum sicut est non cognosci; si enim hoc modo videretur, integer, & totus, & plene cognosceretur; ea etiam quæ mox subiungit, hanc interpretationem non patiuntur, ait enim; Sola enim sibi integre nota est Trinitas & humanitati suscepta, quæ tertia est in Trinitate persona. Quod si de comprehensione, vt Scholastici loqueretur, Isidorus, ita soli Trinitati eam deberet seruare, vt nec humanitati Christi eam concederet, vt dicemus in 3. p. q. 10. a. 2. & sane si eam posset Deus humanitati assumptræ tribuere, posset si veller cuicumque alteri non denegare.

Obiter quoque notandum est, personam verbi ab Isidoro appellari tertiam in Trinitate, quia ipse non attendit ordinem originis, sicut enim est secundum, sed numerum, in quo potest tertio loco filius numerari, cum hic ordo solum sit per intellectum idemque videtur esse, ac si diceretur vna ex tribus. Nec minus clare id ipsum Ambrosius tradidit in 1. Luc. c. de apparitione Angeli explicans illud Ioan. 1. Deum nemo vidit vquam. Hunc locum Ambrosij refert August. epist. 112. cap. 5. & nihil de illo dicit, cum tamen ipse aperte doceat, Deum à beatis videri.

Ex Græcis Patribus in eandem sententiam consensisse videntur Basilus lib. 1. contra Eunomium post medium: Epiphanius hæresi 70. Cyrillus Alexand. lib. 1. in Ioannem cap. 22. & Ierosolymitanus catechesi 6. sed clarius Nyssenus lib. de beatitudinibus, explicans illud, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Matt. 5. Cum enim docuisset, Dei substantiam esse inuisibilem, nisi per effectus aliquos, & similitudines (agebat vero de præmio ipsius beatitudinis) adiungit, promissionem illam, Deum videbunt, ita esse intelligendam; vt videre Deum, idem sit, quod habere, vt in 1. part. Tomus 1.

bebe Deum, iuxta illud Psalmi 127. Et videas bona Ierusalem. Hos Patres, si sincere loqui velimus, vix possumus in bonum sensum interpretari, vt ex dictis manifestum est. Omnis enim eodem modo, quo Chrysostomus, loqui videntur. Oppositam tamen sententiam esse amplectendam, sequenti capite monstrabo.

CAPVT V.

Secundum fidem nostram, Deum, sicuti est, videri posse.

Oppositam sententiam non solum veriolem, sed etiam secundum fidem Catholicam necessariam astruendam existimo: essentia nimirum Dei à Beatis clare videri, sicuti ipsa est. Nam tamen S. Thom. in hoc art. modeste dixerit opinionem priorem inconuenienter defendi, in q. tamen 8. de veritate art. 1. eam hæreticam appellauit, & artic. seq. erroneam: id quod verissimum esse ex ijs, quæ statim subiiciemus, perspicue apparebit.

Primo Euaristus in prima sua epist. ex illo 1. Ioan. 3. Videbimus eum sicuti est, discrete affirmat, Dei substantiam à Beatis videri. Idipsum Concilium Francofordiense in epist. ad Episcopos Hispaniæ his verbis asserit: Prædicemus eum (scilicet Christum) Deum verum, & vnum, & vere Filium Dei, vt ad eius beatissimam visionem peruenire mereamur, in qua est æterna beatitudo, & beata eternitas. Probauerat autem ante medium epistolæ ex illo 1. Ioan. 3. visionem hanc futuram esse Dei, sicuti est. Ad hæc Eugenius 4. & Concilium Florentinum sess. vlt. in litteris vniuersis, quæ ab vniuersa Synodo vere fuere receptæ, & subscriptæ licet postea fraudibus cuiusdam ex Græcis Patriarchis Imperator Græcorum resiliit: inter alia definiunt, eos, qui suscepto baptismate, vel peracta pœnitentia in gratia decesserint, in cœlum mox recipi, & intueri clare ipsum Deum Trinum, & vnum, sicuti est. Denique Benedictus 11. in quadam extrauaganti, quam referunt Maior in 4. q. vlt. & Supplementum Gabrielis in 4. d. 49. q. 2. art. 3. dub. 3. definit, animas defunctorum, qui in gratia decesserunt, ante diem iudicii ex visione clara, & fruitione Dei vere esse beatas.

Secundo ex Patribus plures quoque, & magni nominis idem nobis tradiderunt, Dionysius de celesti Hierarchia cap. 4. Martialis in epist. ad Tolosanos cap. 27. Origines 1. variachon cap. 1. explanans illud Psalmi 35. In lumine tuo videbimus lumen, & Nazianz. orat. 25. in fine ubi sic ait: In hoc igitur commune nomen (scilicet dei) crede, & prospere incede, & regna: atque hinc ad alterius vite beatitudinem transibis. Ea porro vt mihi quidem videtur in expresse horum cognitione, ac comprehensione sita est. Apud Patres vero comprehensio pro clara dei visione accipitur, vt disp. 52. dicemus, de qua contra Anomæos disputabam: fusius tamen Irenæus lib. 18. c. 5. 8. idem docet. Consentit August. epist. 112. de videndo Deum cap. 4. & 8. quod enim in fine epistolæ dubitat, an ab Angelis Deus nunc videatur, non obstat: de omnibus enim beatis in Augustino dubium est, num ante diem iudicii Deum clare intueantur: non tamen dubitat, an aliquando Deus videndus sit.

Accedunt Gregor. Magnus lib. 18. Moral. cap. 28. ubi oppositæ sententiæ meminit, & hanc fusius ex Scriptura confirmat: Damascen. in historia Barlaam. c. 8. circa finem, ubi inquit maximam damnatorum pœnam esse, faciem Dei privari; & primo de fide cap. 1. ubi